

sunt. De tuis rebus nihil esse, quod timeas, praeter universae reipublicae interitum, tibi confirmo. De me autem sic velim judices, quantum ego possim, me tibi, saluti tuae, liberisque tuis summo cum studio praesto semper futurum. Vale.

XVIII. M. T. CICERO M. TERENTIO VARRONI S. D.

«Varronis adventum expectat, ut ex consuetudine ejus non minus, quam ex studiis ac libris, cum quibus in gratiam redierit, solatium doloris petat, quem ex adflicta republica ceperat.»

Ex iis litteris, quas Atticus a te missas mihi legit, quid ageres, et ubi esses, cognovi: quando autem te visuri essemus, nihil sane ex iisdem litteris potui suspicari. In spem tamen venio appropinquare tuum adventum; qui mihi utinam solatio sit: etsi tot tantisque rebus urgemur, ut nullam allevationem quisquam non stultissimus sperare debeat: sed tamen aut tu potes me, aut ego te fortasse aliqua re juvare. Scito enim me, posteaquam in urbem venerim, redisse cum veteribus amicis, id est cum libris nostris, in gratiam; etsi non idcirco eorum usum dimiseram, quod iis succenserem, sed quod eorum me suppudebat. Videbar enim mihi, cum me in res turbulentissimas infidelissimis sociis demissem, praeceptis illorum non satis paruisse. Ignoscunt mihi, revocant in consuetudinem pristinam, teque quod in ea permanseris, sapienterem quam me dicunt fuisse. Quamobrem quum placatis his utor, videor sperare debere, si te viderim, et ea, quae premant, et ea quae impendeant, me facile transiturum. Quamobrem sive in Tusculano, sive in Cumano ad te placebit, sive (quod minime velim) Romae: dummodo simul simus, perficiam profecto, ut id utrique nostrum commodissimum esse dijudicetur. Vale.